



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Casus II. Argumentum. Nominatus si donaverit Patrono Appartamentum,
quod erat de Juribus Cappellaniæ, & obtinuerit subinde ab eo
nominationem ad Cappellaniam an sit reus confidentiæ simoniacæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

Josephum à se abdicassent etiam facultatem præsentandi alium mediante promissione præsentandi illum, & non alium, in quo sensu intelligendæ sunt autoritates in objectione allegatæ, ut explicat Lambert. lib. 2. parte 2. quest. 7. art. 16. n. 1. de jurepat., & confirmatur exemplo do-

40 nationis etiam juratæ jurispræsentandi, quod exerceri nihilominus potest à Donante priusquam accedat Ordinarii consensus, & approbatio, nisi donationi adjectum fuerit pactum de non revocando, neque contraveniendo, Rot. coram Emerix. jun. dec. 149. n. 4. in Mantif. ad ornat. Card. de Luca de jurepat. decis. 27. tom. 4. in rec. dec. 80. n. 9. parte 17., & in Compostellana Parochialis 21. Junii 1696. S. Quandoquidem, & 28. Junii 1697. S. Non relevante cor. Eminentissimo D. Card. Priolo. Cum itaque Fratres ab Aqua per dictam promissionem spoliati non remanserint facultate validè præsentandi alium; Ideoque firmum jus ex ea quæsitum non fuerit Josepho; nulla exindè pro excludenda subreptione aderat necessitas exprimendi Summo Pontifici eandem promissionem in literis gratiæ pro Præsentato à Jacobo impetratis; quia etiam si Papæ innotuisset, cum non retraxisset ab illius concessione Rosa de execut. liter. Apost. parte 1. cap. 6. num. 36. & seqq. Rot. cor. Buratt. dec. 209. n. 3. in Augustana Canonicatus Provinciæ Mogontina 14. Martii 1710. S. fin. cor. Reverendiss. Molines, & in Abulen. Cappellaniæ 31. Januarii 1718. S. Quovero, coram R. P. D. Langetta.

Hæc quoad literas Jacobi, quæ si ex

41 hucusque deductis exequendæ sunt, non est profectò cur sermo fiat de literis à Josepho longè post obtentis. Maximè quia exposita non fuit in illis præcedens gratia pro præsentato Jacobo elargita, & tunc temporis executioni jam commissa, quod exuberaret pro illarum subreptione Rota in Volaterana Beneficii 7. Decembris 1708. S. Destituto, cor. R. P. D. meo Crispo; Atque etiam quia sunt innixæ expressioni non veræ, quod ipse Joseph ab omnibus, vel majori parte Patronorum præsentatus fuisset, dum non aliam præsentationem, ille numerare poterat, quam illam Alexandri Paris, qui solùm altera medieta-te jurispatronatus potitur, ex quo facto

Pars VI.

resultat inexcusabilis obreptio, nullas, & irritas prorsus reddens easdem literas, Rot. cor. san. mem. Gregor. XV. decis. 425. num. 3. & 4., & coram Bich. decis. 479. num. 3. Et demum quia dictus Joseph incapax erat obtinendi beneficium Eccle-

42 siasticum ratione defectus legitimi ætatis annorum 14. pro eo requisitæ à Sac. Concil. Trid. sess. 23. cap. 6. de reform. Idem-

43 que juvari nequit dispensatione; Cum illa quoque inefficax, & nulla sit, utpotè impetrata elapso jam quadrimestre dato Patronis laicis ad præsentandum, Corad. in prax. benef. lib. 4. cap. 6. n. 4. vers. quod quidem, & reticito in ea jure Jacobo perfectè quæsito vigore dictæ prioris gratiæ pro Præsentato, ut firmat decisio, quæ revidetur §. fin.

Neque tot defectus sublatis dici possunt ex relaxatione istarum literarum Josephi ab Eminentissimo D. Cardin. Prodatorio demandata, contradicente Jacobo. Si quidem id minimè congruebat stylo Datarariæ, in qua tanquam in Tribunali gratioso partes Judicis non assumuntur, & propterea circa idem beneficium plures, & diversæ gratiæ petentibus quandoque conceduntur, remittendo tamen, ut in præsentati evenit, illarum examen ad Judicem, coram quo discuti debet an potius una gratia, vel altera sit exequenda, ut huic objecto aliàs respondit Rota in Comen. Parochialis 10. Januarii 1707. S. Frustra, & S. fin. coram bo. ms. Caffarello, & alibi passim.

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

Nominatus, si donaverit Patrono Apparatamentum, quod erat de juribus Cappellaniæ, & obtinuerit subinde ab eo nominationem ad Cappellaniam, an sit reus confidentiæ simoniacæ.

SUMMARIUM.

- 1 Ex quibus dignoscitur esse reus simoniæ confidentialis? & n. 2.
- 3 Cappellaniam esse beneficium Ecclesiasticum, ex quibus resultat? Vide ibi.
- 4 Ad effectum incurrendi confidentiam Si-

N n mo-

- moniacam, quid requiratur? vide ibi.*
 5 *Mutua causalitas inter donationem, & nominationem, ex quibus excludatur. Vide ibi.*
 6 *Vendere jus nominandi ad Cappellanas merè laicales est actus detestandus non verò simoniacus.*

C A S U S II.

SEquens facti series exposita fuit in Sacra Congregatione Concilii die 13. Augusti 1718. in una *Neapolitana prætense Simonia*. In instrumento stipulato die 18. Novembris 1707. Damianus Mastrota Sacerdos donavit donatione irrevocabili inter vivos Lucretiæ Appartamentum domus pertinens ad Beneficium, seu Cappellaniam sub titulo Annuntiationis, eaque moriente, ad donationem vocavit Michaellem ejusdem virum; idem Damianus donavit etiam prædicto Michaeli totum id, quod ab ipso tanquam à Patrono dicti Beneficii quolibet anno prætere poterat pro juribus Sacristiæ, Missarum cantatarum, & aliarum similium rerum, se obligando ad subeundum de proprio onera mox memorata, duabus super additis conditionibus, quarum altera fuit, quod hæ donationes durare deberent quoad usque Damianus persisteret in possessione beneficii, & altera fuit, quod in casu inobservantiæ exbursare teneretur scuta 50. Sacerdos verò Joachinus Villa, qui fuerat deputatus ad complenda onera Missarum annexa Cappellaniæ, sive beneficio, quoad usque durasset absentia Joannis Pasquedæ, qui dictum beneficium sive Cappellaniam obtinebat, fecit prædicti beneficii, sive Cappellaniæ resignationem die 22. Novembris 1707. Hinc Michael Serranus, & Antonia de Losa, ad quos jus nominandi ad Cappellaniam, sive beneficium pertinebat, die 24. Novembris ejusdem anni 1707. deputarunt, & nominarunt Sacerdotem Damianum Mastrotam; ut ipse adimpleret onera Missarum, sub obtentu discessus Joachini Villæ à Civitate Neapolis, & quod ea ipsa die fuit admissa nominatio, & intrà terminum trium dierum fuit à nominato capta possessio. Præsupposita hac facti serie, quæsitum fuit = *An constet de Simonia.*

Andreas Assantes, qui prævia Patronorum nominatione, fuit ab Ordinario institutus, & Cappellaniam, sive beneficium obtinuit tanquam vacans propter Simoniam à Damiano commissam, contendebat de labe Simonica non esse dubitandum sequentibus suffultus rationibus, clarè, ac succintè relatis ab R.P.D. Lambertino Secretario, in *consueto folio*

- 1 *impresso*; nimirum tum quia faciendo donationem Appartamenti, quod erat de juribus Beneficii, sive Cappellaniæ, & obtinendo subinde nominationem ad beneficium, sive Cappellaniam, Simonicæ confidentialis reus esse dignoscitur ad Tramites Bullæ S. Pii V. 85. §. 2. ibi = *Ad hæc plerique Ordinarii, & Collatores, ac etiam Patroni Laici curant deponenda Beneficia, ut fructus, seu pensiones, capiant eorundem aliisque faciat ministrari* = Tum quia hoc
 2 idem crimen convincitur ex dimissione ejus, quod erat solvendum per Michaellem Patronum quolibet anno, pro jure Sacristiæ, Missarum cantatarum, & consimilium rerum, ut probat *Textus Alexandri Tertii in cap. veniens 10. de test. & attest. ibi = Quod prius promississet, quod unicuique Parochianorum Bariles vini remitteret, qui Sacerdoti ejusdem Ecclesiæ, qui pro tempore ibi serviret, consueverant pro Beneficio dari* =.
 3 Absque eo, quod quidquam referat, quod non versamur in Beneficio Ecclesiastico, sed in Cappellania manuali, sive Legato, & quod Sacerdos Damianus fuit nominatus, & deputatus per modum Provisionis, ut suppleret vices Villæ absentis, quasi quod ex his inferatur nullam sibi posse simoniam locum vindicare ex defectu subjecti. In eo enim quod attinet ad punctum Cappellaniæ, sive Legati pii, respondet Assantes hic, & nunc agi de vero Beneficio, tum quia in Literis Apostolicis Innocentii X. illud fuit appellatum simplex beneficium Ecclesiasticum de jure patronatus Laicorum, & in aliis Literis Apostolicis Innocentii XI. concessa fuit dispensatio super ætate ad beneficia Ecclesiastica requisita, tum quia nominati fuerunt ad ejus titulum ordinati, quod non contigisset in Cappellania purè laicali, & amovibili ad nutum, & tandem quia nominationes à Patronis fuerunt expletæ coram Ordinario, fuit
 ab

ab Ordinario concessa institutio, & coram Ordinario facta fuit dimissio, quæ omnia arguere dicenda sunt, veram beneficii qualitatem; In eoque, quod spectat ad deputationem Damiani, non in perpetuum, sed ad tempus, subdit Assantes id non excludere simoniam, cum unicè ad effectum simoniæ videndum sit, an res, quæ fuit in contractu deducta, sit necnè spiritualis, sive Ecclesiastica, non autem an ingressus fuerit titulo institutionis, vel titulo administrationis, ut probat *Textus in cap. consilere de simonia*.

4 Ego verò studens in hac causa apud eundem R. P. D. Lambertinum, meum aperiendo votum, rescribendum sentiebam *Negativè*; Ad effectum enim incurrendi confidentiam illicitam, & simoniacam, sive simoniam, requiritur quod probetur mutua causalitas inter donationem, & nominationem, nimirum quod donatio Apartmenti, & aliorum jurium per Damianum Mastrotam nominatum fuerit facta favore Michaelis, & Lucretiæ de Serranis Patronorum in præmium nominationis, & quod nominatio fuerit facta ab eisdem Patronis in præmium dictorum jurium, cum ex simplici donatione absque hac qualitate, seu absque hac mutua causalitate deduci non possit confidentia, sive simonia; eo quia, ut excludatur delictum simoniæ semper faciendâ est interpretatio, quod munera, quæ antecedunt, aut subsequuntur actum nominationis, seu præsentationis, proveniant ex mera liberalitate, & gratitudine nominati. *Lotter. de re benef. lib. 3. quæst. 29. n. 47. & seq. Card. de Luc. de benef. disc. 127. n. 5.*, etiamsi munera fuerint vicina, & proxima nominationi, cum ex simplici vicinitate actuum non inducatur simonia. *Rot. dec. 358. num. 11. par. 2. & dec. 93. n. 19. par. 4. rec. & decis. 171. n. 9. & seq. coram Puteo*.

5 In casu præsentis non solum non pro-

batur hujusmodi mutua causalitas, verum etiam hæc excluditur ex eodem instrumento donationis; Ex hoc enim apparet Mastrotam devenisse ad hanc donationem ex mera liberalitate, & gratitudine, & ad subveniendum necessitati dictorum Patronorum; apparet etiam eundem Mastrotam processisse per viam cessionis, & donationis jurium, & rerum penes ipsum jam existentium; seu ipsum fuisse nominatum, & deputatum ad dictam Cappellaniam ante expletam donationem, ut hoc idem desumitur ex confessione ejusdem Michaelis Serrani hujus criminis delatoris; ac proinde nullam intercessisse mutuam causalitatem, inter ejus nominationem, & donationem, maxime cum non doceatur de ullo, antecedenti pacto, sine quo ex his, quæ postea sequuntur simonia non probatur. *Rodoan. de Simon. par. 3. cap. 24. num. 1. Lotter. de re benef. lib. 3. quæst. 29. num. 42. & seqq. Mobedan. decis. 2. de Simon. Rot. decis. 238. n. 8. coram Ludovif.*

6 His accedit animadversio, quod videtur agi de Cappellania merè laicali, ut apparet ex ejus foundationis instrumento, in quibus terminis licet vendere jus nominandi ad illam sit actus omninò detestandus, & reprobandus, ut dixi *Par. II. Can. XII. & XIII. Cas. VII. n. 8.* tamen non est actus simoniacus juxta Auctoritates *d. Cas. VII. n. 5.* relatas.

Minimè adversantibus Apostolicis dispensationibus, & aliis actibus subsecutis; quia nihil magis commune est in Tribunalibus, quam quod Provisiones Apostolicæ non immutent naturam, & qualitatem Cappellaniarum; tum quia constituto ex fundatione de qualitate Cappellaniæ merè laicali, subsequentes actus, utpote erronei non merentur attendi; ita ego in hac causa sentiebam; Sacræ tamen Congregationi Concilii placuit differre resolutionem, & rescribere *ad mentem*.